

Ecclesia universa , id & verum , & sanctum est . Eam igitur inficiari erit erroneum . Eam autem propositionemово doctrinæ Catholicae , quam Ecclesia Catholica nullo non tempore usu recepit , Sanctique Patres , qui buscumque scribendi occasio fuit , deque illa judicium promendi suum , magno consensu tradiderunt ; quamquam de illa expressa non sit aut Pontificis Maximi , aut Ecumenicæ Synodi definitio ; ideoque non sit articulus fidei . Nunc ad rem proprius accedamus . Id esse verum , & sanctum , quod omnis Ecclesia veneratur , est ita tritum sermone ipsius Ecclesiae , ut in adagium prorsus abierit ; & qui voluerit ejus dicti rationem efflagitare (quamquam & obvia , & incluctabilis est) is lucem querere in meridiano sole videatur . Tum Sancti omnes , qui in ejus rei mentionem incidere , uno ore asseverarunt , non celebrari ab Ecclesia festum , nisi de Sancto : quod Ecclesia auctoritate colitur , Sanctum esse . D . Augustinus in sermone 113. , qui est de S . Cypriano , de eo inquit : Quid est hoc , fratres ? Quando natus sit , ignoramus , & quia hodie passus est , natalem ejus hodie celebramus ; sed illum non celebraremus , etiam si nossemus : illo enim die traxit originale peccatum ; isto autem die vicit omne peccatum . Et sermone 95. in festo S . Stephani , originale peccatum obstare dicit , quominus Martyrum natales dies celebrentur ; cum tamen Ecclesia illorum obitus colere soleat : Martyres , inquit , ad mala certamina nascendo venerunt trahentes originale peccatum ; moriendo autem ad bona certamina transferunt , finientes omnem peccatum . Huc respexit Origenes , cum ait libro 3. in Job : Mortis diem celebramus , utpote omnium dolorum depositionem : diem mortis celebramas , quia non moriuntur hi , qui mori videntur : propterea & memorias Sanctorum facimus . S . Ildephonsus in libro de Parturitione Virginis : Quia ejus , inquit , idest Mariae , Nativitas tam solemniter colitur , constat ex auctoritate Ecclesiae , quod nullis , quando nata est , subjacuit delictis . S . Bernardus Epistola illa 174. Quia ortua Virginis didici in Ecclesia indubitanter haberi festivum , firmissime